UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Svmma, Sive Avrea Armilla Bartholomæi Fvmi Placentini, ordinis Prædicatorum, ac hæreticæ prauitatis Inquisitoris

Fumo, Bartolomeo

Antverpiae, 1570

Inqvietvdo.

urn:nbn:de:hbz:466:1-30427

Visual Library

dire tenemur.

INOBEDIENTIA.

INOBEDIENTIA, qua quis ſuo ſuperiori in his, in quibus ſubijcitur, non obedit, ſi hoc fiat ex intentione non obediendi, eſt peccatum mortale ex genere ſuo: quia iniuriam facit ſuperiori, cōtemnens eius præceptum. Nam idem eſt contemnere præceptū, & nolle ex intentione obedire præcepto. Sic enim patet, quod præcepto nō vult ſubdi. Et quia paria ſunt, nolle ex intentione obedire, & cōtemnere, & contemptus vbiquè damnabilis cenſetur, ideò mortale peccatum eſt. Et hîc intellige per præceptum, non tantum illud pręceptum formale obligans ad mortale: vt cū dicitur in virtute ſpiritus ſancti, & c. vel præcipiendo mādamus, & huiuſmodi, ſed omne mādatum quomodocunquè obligans ſubditum ad obediendum, prout præceptum in mortalibus diſtinguitur contra conſilium. Intellige etiam inobedientiam formaliter, ſcilicet ex intentione. Aliter veniale eſt, vt pro re minima, vel ratione actus imperfecti. Si autem non obediat non ex intentione non obediendi, ſed ex negligentia, vel alia cauſa, tunc peccatum iudicandum eſt ſecundum materiam circa quam eſt. Nam ſi circa præcepta Dei, vel præcepta formalia ſuperiorum, peccatur mortaliter, niſi impotentia, vel cauſa ſufficiens excuſet. infrà, Obedientia. §. 12. Præceptum. §. quarto.

2 NON obedire legis præcepto, quando lex eſt iuſta, acceptata, & non abrogata per contrariam cōſuetudinem eſt peccatum mortale, etiam quod talis lex ſit pœnalis, continens tantum vnum præceptum: vt dicēdo, qui percuſſerit aliquem vulnere, ſoluat 10. aureos: niſi adſit ignorantia non craſſa, & non affectata, quæ poſſit excuſare, vel niſi probabiliter crederet, quod ſi adeſſet legiſlator, non vellet in tali caſu obligare, vel niſi quando contrafaciens legi, non credit contrafacere intentioni ſtatuentis, etiam quod ſecundum veritatem contrafaceret, quod tamen exiſtimat non eſſe. Et hæc determinatio eſt ſecundum mentem S. Thom. 4. ſenten. diſtinct. 15. & ſecunda ſecundæ. q. 147. vbi loquitur de ieiunio. & Pa. in rub. de obſer. ie. Et ſicut dictum eſt de præceptis ſtatutorum: ita dicendū eſt de præceptis prælatorum, quò ad culpam, quia obligāt ſiue ſint pœnalia, ſiue non: niſi quando lex vel præceptum declararet non obligare ad culpam, ſed tantùm ad pœnam, ſicut fit in conſtitutionibus fratrum prædicatorum, infrà lex. §. 4. Diſtinctio, quam ponit Hen. de Gan. in quol. de pręceptis ſtatutorū, eſt inutilis.

INQVIETVDO.

INQVIETVDO mentis, eſt filia auaritiæ. Nā ex hoc quod quis valdè ad aliquid afficitur, circa illud mentē occupatam tenet, vel circa negotia ſęcularia ex affectu auaritiæ, vel circa venerea, vel circa alia, ſecundum diuerſum affectum hominum. Et communiter veniale peccatum eſt, quando verſatur circa materiam venialiter malā. Si verò circa materiam malam mortaliter, vt eſſet fornicatio, vel huiuſmodi, & cum animo deliberato, tunc mortale eſſet peccatum, ſecundum Caietanum in ſumma, ibi. Si ob mentis inquietudinem quis omittat, quæ ad ſalutem neceſſaria ſunt, vt confeſſionem, & ſimilia, talis inquietudo mortalis eſt.

INQVISITIO.

1 INQVISITIO, per quam iudicialiter proceditur ad inquirēda crimina, ſi ſit ſpecialis contra certam perſonam, ad pœnam imponendam, requirit clamoroſam infamiam præcedentem, in cap. qualiter & quando el. ſecundo. de accuſat. non autem quando eſt generaliſſima, vel generalis ſuper aliqua prouincia vel loco. de accuſation. cap. ſicut olim. Sed ſi fiat cōtra ſpecialem perſonam, aut fit contra prælatum ſecularem, & tunc non debet fieri, niſi tanta præcedat infamia, vt ſine ſcandalo, vel periculo diſſimulari non poſſit, vt in dict. c. qualiter & quādo. vel fit contra ſubditum

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN